

bini recentioris; qui accentus collegit, prout eosdem in suo falso codice invenit. Ratione itaque & codicibus sat multis & accuratissimis suffultus, autoritatem unius Rabbini, qui alias codices non evolvit, &, quod ex stylo patet, recentioris ævi est, posthabuit, & Segoltan, quam consecutio & Regula postulat, restituit. Licet enim Vir Cl. concedat Schaar Hannegineth esse partem, quæ Masoretharum annotationes collegit, tantum tamen abest, ut libellum ipsum antiquis Masoretis attribuat. Nævos Masoræ alii notarunt, jam tantum addam, quod Masora parva Raschium alleget, v.g. 2. Reg. V, 20. ad vocem מִזְבֵּחַ notatur in Masora parva, *deficit Aleph secundum expositionem Rasche.* Quis Masoræ tantam autoritatem concedat? Celeberrimi Danzii *Masora throno mota*, evidenter, ut spero, docebit, quanta sit Masoretharum autoritas, hactenus a quibusdam adorata, videatur interea, quæ in *sinceritate scripturæ* §. 26. sq. p. 86. de Masora erudite differit.

### §. XXIX.

Nolo reliquias ineptias & criminationes persequi, quas malitiosus homo Fr. Cl. Viro affinxit, partim quod in arte dist. legend. aliis sensus ubique constet, partim, quod sciam, me eruditis parum prodesse, in refellendis ineptis Frankii somniis & criminationibus, quas eruditi abhorrent. Sufficiat loca addidisse a Cl. Viro erudite explicata, & a stupido Frankio ex ignorantia & malitia, in falsum sensum tracta. p. 28. Art. dist. leg. locus ex Gen. VIII, 21. ita explicatur, ut membrum Atnachi arctius cohæreat cum membro Silluki, quam cum membro Segoltæ:

*Et odoratus est DEus, odorem complacentiæ*

*Et dixit ad cor suum:*

*Non iterum, maledicam terræ, propter hominem: ·*

*quia figmentum cordis humani, est malum a pueritia*

*Non iterum percutiam omne vivens, uti feci:*

Palam est h. l. Mosen referre i) placationem irati DEi per sacrificium Noachi, & 2) decretum DEi de non iterando diluvio. Decretum DEi duabus partibus constat; 1) se non maledicturum terræ propter hominem, 2) se non perditurum omne vivens.